

CLEMENS V.

PAPA CXCV.
ANNO DOMINI MCCC.V.



Post unius fere anni Sedis Apostolicæ Vacationem, die tandem 5. Junii anno 1305. electus est Perusii in Romanum Pontificem Bertrandus de Gotto natione Vasco, patre Beraudo Archiepiscopus Burdegalenfis, qui, coronatus Lugduni die 14. Novembris ejusdem anni, Clemens Quintus appellatus est. Sedit in Pontificatu Annos VIII. Mef. X. dies XV. temporibus Andronici in Oriente Imperatoris, & Alberti, mox Henrici, Regum Romanorum. Obiit Carpenteroracti die 20. Aprilis an. 1314. Vacavit Sedes An. II. Mef. III. D. XVIII.

I.

Secularizatio Ecclesiæ Burdegalen. Ordinis Sancti Augustini. *Ex Reg. Vatic.*

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica, quæ super universas Ecclesias obtinet divina institutione Primatum, circa singulas maternæ diligentie cura sedulo vigilans, earum profectibus velut sollicita mater ardentem intendit, studens ea penitus submovere, per quæ ipsa Ecclesiæ sustinere possent circa spiritualia, vel etiam temporalia nocumenta; & illa efficaciter agere, quorum suffragio eis in utroque augmentum Deo propitio valeat provenire.

§. 1. Sane inter varias & innumeras sollicitudines, quæ Nobis ex officio Apostolatus incumbunt, ad Burdegalensem Ecclesiam, quæ nos olim ante nostræ promotionis initia fovit ut Filium, ac demum Nos sponsum habuit, nostræ gubernationi commissa, nunc vero demum Nos Patrem ac Dominum recognoscit, cum de ipsa fuerimus, gratia favente divina non nostris meritis ad supremæ dignitatis fastigium evocati; propter quod ejus non possumus nec volumus oblivisci, nostræ mentis aciem convertentes, & attendentes, quod dicta Ecclesia, in qua Ordo Sancti Augustini institutus extitit ab antiquo, propter defectum & impotentiam Canonicorum regularium, in ipsa Ecclesia existentium, circa bona & jura ipsius gravia recepit hæcenus, & adhuc recipit nocumenta; cum nonnulli per suam potentiam illa occupaverint & invaserint, occupent & invadant, & alias de decimis & redditibus, & aliis juribus dicte Ecclesiæ debitis non respondeant, nec ipsa occupata restituant, ut tenentur, eidem: quæ quidem omnia possent contingere etiam in futurum: considerantes insuper, quod iidem Canonici a primis institutis & observantiis regularibus sui ordinis a multis retroactis temporibus citra temeritate propria discedentes, ad mores & conditiones secularium Canonicorum, quasi totaliter se traxerunt, ac attendentes, quod, consideratis statu & conditione illius Patriæ, dicti Canonici ad hujusmodi Instituta & observantias regulares servandas, ut tenentur in habitu & in aliis, sine gravi scandalo reduci non possent, nec hæcenus per Nos, dum præeramus ipsi Ecclesiæ, ac alios Burdegalen. Archiepiscopus, qui fuerant pro tempore, potuerunt; nec rigor etiam disciplinæ regularis dicti Ordinis possent deinceps in eos commode exerceri; ex quorum transgressione, neglectu, vel contemptu de facili suarum incurrerent periculum animarum, cui ex debito pastoralis officii, prout est possibile, occurrere Nos oportet; quodque propter Religionis nexum, cujus observantiæ recipiendos Canonicos in ipsa Ecclesia se astringere oporteret, inveniri non possent de facili Viri sic litterati, potentes, & alias idonei, quales dictam Ecclesiam, quæ

Exordium.

Causæ huius Secularizandi Ecclesiæ.

Me-

Metropolitan. & alias insignis existit, ad instruendum alios in literarum scientia, præsertim sacræ paginæ, & in aliis, quæ ad curam pertinent animarum, nec non ad recuperandum & defendendum bona & jura prædicta, habere decet, vellent institui in eadem: ac indubitanter credentes, quod si ex nostræ providentiæ studio de regulari fiat ipsa Ecclesia secularis, personæ hujusmodi facilius poterunt reperiri: & quod exinde honoris & commodi eidem Ecclesiæ proveniret non modicum incrementum, & salubrius poterit in spiritualibus & temporalibus gubernari, ac in prædictis bonis & juribus manuteneri utiliter & defensus horum, & etiam aliorum, quæ rationabiliter animum nostrum movent, consideratione ducti, de Fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica præfatam Burdegalen. Ecclesiam perpetuo constituimus secularem, ac de cetero Canonicos institutos in ea fore volumus seculares.

Eam secularizat.

Canonicos quæ Seculares in ea decernit instituendos.

Clausula.

Dat. die 11. Novembris 1305. Pont. I.

§. 2. Decernentes ex nunc eadem auctoritate ipsos ad Regulam Sancti Augustini, in habitu, professione, & aliis observandam non astringi, & ad observantias regulares, disciplinam, & statuta ejusdem regulæ & Ordinis, vel alia quælibet regularis status in aliquo non teneri. Volumus tamen, quod Canonici nunc presentes, qui jam sunt in prædicta Ecclesia instituti, sub regula, statutis, & observantia dicti Ordinis, & in eo habitu, & professione, in qua olim fuerunt, vivant, & remaneant in ipsa Ecclesia, Domino, ut tenentur, perpetuo servituri.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ Constitutionis, & voluntatis infringere &c.

Datum Pessaci prope Burdegalam quinto Idus Novembris, Pontificatus nostri anno I.

II.

Confirmata Bonifacii VIII. Constitutione, qua Hungariæ Regnum Mariæ, Siciliæ Reginæ ejusque Nepoti Carolo adjudicatur, Othoni Bavarie Duci, a nonnullis in Regem electo, dies indicitur, ut coram Apostolica Sede sistat.

Carolo eidem Ungariæ Regnum adjudicatum vidimus in Bonifacio VIII. Constitut. XIX. pag. 98.

Ex Reg. Vaticano.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

Terni providentia Principis, quæ nihil in Terra sine certa causa, propriaque ratione disponit, unicam Sponsam suam, Catholicam scilicet & Matrem Ecclesiam stabilivit in terris: in qua Christi Vicarium Romanum Pontificem Successorem Petri voluit obtinere Primatum, ac ejus caput existere: tradens sibi claves regni celestis, ligandi scilicet Pontificum, & solvendi, ut præsit Familiæ Domus Israel, & oportuna singulis renatis Fonte Baptismatis, qui oculis

Fidei suum conspiciunt Creatorem, oportunitatis tempore, præsertim in exhibitione justitiæ dispenset auxilia; & prout personarum, locorum, temporum, & negotiorum qualitas exigit, evellat & destruat, dissipet & disperdat, adificet atque plantet sub ipsius Creatoris nomine & doctrina; & ut, Gregem pascens Dominicum, infirma consolidet, sanet egrotam, fracta colliget, & abjecta reducat; ac ad eum, sicut ad omnis juventutis animæ Magistrum & Dominum, & universale refugium denique recurratur. Quapropter Nos, licet immeriti, ejusdem Ecclesiæ regimidi præsentis, levamus in circuitu vigilis more Pastoris tam corporeos quam mentales oculos, & quod Gregi commisso Nobis expedire conspiciamus, prout Nobis ex alto permittitur, ministramus, fovendo justitiam, deprimendo nequitiam, plantando & colendo virtutes, ac vitia expiando.

§. 1. Verum, licet de universis & singulis Regionibus, & earum Incolis Deo, & Apostolicæ Sedi devotis, ut pacis & quietis, repressis conatibus malignorum, beatitudinè prosperentur, sollicitè cogitemus, & ad id attentæ considerationis distendamus intuitum; nunc tamen Regni Ungariæ, nobilitate pelentis, & Incolarum ejus seditiosos tumultus, concertationes varias, ac deploranda discrimina, eidem Sedi frequenter exposita, amare ac precordialiter intuentes, condolemus eis plurimum, & vastitati eorum oportuna, prout possibilitati nostræ permittitur, justitiæ superante malitiam, remedia propinamus.

§. 2. Dudum siquidem, claræ memoriæ Venceslao Rege Boemiæ tunc vivente, per ejus Nuntium & literas supplicante felicis recordationis Bonifacio PP. Octavo Prædecessori nostro, ut negotium quondam Venceslai ejusdem Regis Filii tunc viventis, quem in Regem Ungariæ concorditer & canonicè proponebat electum, & eundem Regem Boemiæ, ac tam suos quam ejusdem Filii in hac parte sequaces, in benevolentiam & gratiam ejus reciperet &c. prout hæc Enarratis, quæ a Bonifacio gesta sunt; & alia in ipsius Prædecessoris Bonifacii bullatis literis inde confectis plenius & seriosius continentur, quæ omnia postmodum fuisse dicuntur in locis solemnibus dicti Regni Ungariæ de mandato Prædecessoris ejusdem tempore debito solemniter nihilominus publicata.

§. 3. Nos autem, ejusdem Prædecessoris Bonifacii in hac parte vestigiis inhærentes, ipsorum Reginæ, ac Regis Ungariæ supplicationibus inclinati, Constitutionem, diffinitionem, declarationem, voluntatem, mandatum sive mandata, censuram, absolutionem, termini præfixionem, silentii impositionem, præsidii denegationem, & alia supradicta, quæ per eundem Prædecessorem Bonifacium taliter facta sunt, rata habentes & grata, ea ex certa scientia de Fratrum nostrorum consilio & assensu, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Excommunicationis vero sententiam supradictam volumus usque ad satisfactionem condignam auctoritate nostra, appellatione

Turbulencia Hungaria adhuc vigentes.

Cetera omnia: concordant enim cum superalata Bonifacii Constitutione. mut. mut. usque ad illa verba solemniter publicata. Eandem Constitutionem confirmat.

latione remota, inviolabiliter observari.

§. 4. Verum, sicut fama publica, quini mo infamia referente, non absq; grandi admiratione seu potius turbatione didicimus, quod, etiamsi sit manifestum atque notorium, nedum in ipso Regno Ungariae ac vicinis, sed in remotis etiam partibus, esse dicitur, quod nulla potest tergiversatione celari, nonnulli ex Praelatis, Clericis, Religiosis, Comitibus five Banis, Baronibus, Militibus, Civibus, & Incolis memoratis praefatorum Boemiae Regis & Filii in hac parte fautores atque sequaces, immemores salutis eorum huiusmodi praecipua, sententias, & processus Praedecessoris eiusdem damnabiliter contemnentes, ac venientes temere contra ea, praefatis Regine ac Filio Regi Ungariae juxta praemissum mandatum ipsius Praedecessoris, assistere circa recuperationem, defensionem, & conservationem jamdicti Regni Ungariae, ipsisque parere, intendere, ac respondere minime curaverunt: quin potius ipsi Boemiae Regi & Filio, dum vivebant, eorumque Ministris adversus Reginam eisdem, & Carolum Regem Ungariae, ac in eorum praedictorum praesentium postmodum auxilium, consilium, & favorem, praedictos Reginam & Carolum Regem super ipso Regno ac ejus bonis & juri- bus inquietando nequiter, & multipliciter molestando; propter quod praefatam excommunicationis sententiam latam per eundem Praedecessorem Bonifacium damnabiliter incurrerunt; Eodem autem Rege Boemiae viam deinde universae carnis ingresso, praefato adhuc ipsius Regis vivente Filio, nonnulli ex praemissis Praelatis, Clericis, & Religiosis, Comitibus five Banis, Baronibus, Militibus, Incolis, atque Civibus in sensum dati reprobam, & spiritu obsecrati nequitiae, in multiplicationem excessuum, injuriarum, contemptus, & offensarum ausus praecipuos colabentes, contra eisdem Carolum Regem & Reginam Ungariae, Nobilem virum Ootonem Bavariae Ducem nequiter convocaverunt, seu potius abduxerunt, adherendo & assistendo sibi patenter & publice ad invasionem, occupationem, & detentionem dicti Regni Ungariae, vel alicujus partis ipsius, ac praestando auxilium, consilium, & favorem; ex quo etiam ipsos tenet excommunicationis praefatae laqueus alligatos: Idemque Dux ipsorum & aliorum potentia fultus, & auxiliis communis, praetextu convocationis seu obductionis huiusmodi ad invasionem, occupationem, & detentionem praedicti Ungariae Regni temeraria praesumptione se transferens, per ipsum B. Vesprimien. & quondam A. Chamadien. Episcopos se coronari, ut dicitur, in Regem Ungariae procuravit: In hoc etiam officium jurisdictionis Strigonien. Archiepiscopi, ad quem Regis Ungariae coronatio pertinet, faciens usurpari; & eisdem Carolum Regem & Mariam Reginam Ungariae in adjudicata, ut praefertur, eis possessione dicti Regni nequiter molestare, inquietare, & perturbare praesumunt, invadendo, occupando, & usurpando violenter & injuste pro viribus Terras, loca, bona, & jura Regni ejusdem, ac etiam deti-

Nonnulli Procures, & Episcopi contra Bonifacium edicta sententia cum Regibus Bohemiae.

Defuncto Venceslavo Bavarie Ducem ad Regnum occupandum evocaverunt;

Qui profectus in Hungariam insignem regium accepit.

nendo in ipsius Regni subversionem & scandalum sua, ac suorum complicitum, & sequacium in hac parte salutis dispendium, & praedictorum Reginae ac Regis grave damnum, praedictum, & jacturam: propter quae pro parte praedictorum Reginae ac Regis Ungariae pro adhibendo super iis optimo remedio ad nostram & dictae Sedis providentiam humiliter habitus est recursus.

§. 4. Nos itaque, nolentes haec non absque divina & praefata Sedis injuria & contemptu attentata taliter & praesumpta, sicuti nec debemus conniventibus oculis praeterire, quin circa ea, cum simus omnibus in iustitia debitores, officii nostri debitum, prout tenemus & expedire credimus, exequamur, Praelatis Clericis, & Religiosis, Comitibus five Banis, Baronibus, Militibus, Civibus, Incolis, Complicibus, & sequacibus memoratis sub excommunicationis in personas, & Interdicti in Terras & Loca eorum, ac privationis omnium officiorum, & beneficiorum, privilegiorum, & gratiarum, atque bonorum, quae a Romana, five ab aliis, vel in aliis quibuscumque tenent vel habent Ecclesiis, penis atque sententiis, quas ipso incurrant facto, si secus egerint, districte praecipimus, ut a praemissis omnibus contra praedictos Carolum & Reginam Ungariae, in auxilium & favorem Ducis praefati, per eos attentatis taliter & praesumptis, cessent penitus & desistant: & tam eisdem Praelatos, Clericos, & Religiosos, Comites five Banos, Barones, Milites, Cives, Incolas, complices, & sequaces, quam omnes alios & singulos tam de praefato Regno Ungariae ac ipsius pertinentiis & juri- bus, quam de aliis regionibus quibuscumque, five annexis five non annexis eidem Regno, cujuscumque sint praeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis, & status, etiamsi Regali vel alia quavis praesulgeant dignitate, attente monemus, eis omnibus & singulis auctoritate praedicta sub eisdem penis & sententiis, quas si contra fecerint eos incurere volumus ipso facto, districte injungentes, ne in praedictum praedictorum Reginae ac Regis Ungariae praefatum Bavariae Ducem, vel quemvis alium, Regem Ungariae nominare, titulare, vel describere, seu habere, vel tenere praesumant: neve ipsum, vel Ministros ejus quomodolibet recipiant vel admittant, nec ei vel huiusmodi Ministris ipsius in invasione, occupatione, usurpatione, vel detentione dictorum Regni Ungariae, juri- bus, & pertinentiarum ejus, aut annexorum sibi, vel alicujus, praefatis eorum, praesentent auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum, vel de alicujus ejusdem Regni redditibus, bonis, & juri- bus quoquomodo respondeant, vel ministrent, neque cum eis vel pro eis ullam faciant colligationem, conjurationem, convocationem, vel communicationem, seu alias noxiam novitatem, donec de jure & proprietate dicti Regni ab eadem sede plene fuerit diffinitum.

§. 5. Ipsum quoque Ducem Bavariae attente monemus, sibi- que districte injungimus sub similibus excommunicationis, & interdicti, ac privationis penis & sententiis, quas ex nunc prout ex tunc, si contra fecerit, proferimus con-

Maria & Carolus auxilium Sedis Apostolice implorant.

Annuit eorum precibus Clemens.

Censuras incutit, qui in Carolum rebellione moverint.

Interdictum Ducis Bavariae anathema.

contra eum, ac eas ipso facto eundem incurere volumus, ne se Regem Ungariae nominet; neve de illo titulum sibi dignitatis Regiae, vel alterius Dominationis adscribat, neque praefatum Regnum, vel aliquam ejus partem occupare, invadere, vel detinere praesumat; neve praebatum Carolum Ungariae Regem vel Ministros ipsius in possessione praedictorum Regni Ungariae juri- bus, & pertinentiarum ejus, vel quoruncumque annexorum eidem, per se vel alium seu alios impediat, perturbet quomodolibet, vel molestet: Sed, a qualibet eorum occupatione, invasione, usurpatione, ac detentione cesset & desistat omnino, quousque super ipsius Regni jure ac proprietate plena praefata Sedis, ut praemittitur, definitio subsequatur.

§. 6. Et ne dici possit, quod quemquam a prosecutione sui juris super proprietate dicti Regni excludere intendamus, ipsi Duci Bavariae usque ad annum continuum, postquam haec in dicto Regno vel vicinis partibus juxta tenorem aliarum literarum nostrarum extiterint publicata, peremptorium assignamus terminum, infra quem per se vel alium seu alios, si qua de proprietate praedicti Ungariae Regni jura se habere crediderit, illa Nobis & Sedi Apostolicae reverenter ostendere, petere, ac coram Nobis vel ipsa Sede prosequi debito procuret ordine; ac sicut rationis extiterit, & melius sibi videbitur expedire. Parati enim sumus exhibere ipsi favorabiliter & benigne super hoc iustitiae complementum.

§. 7. Ceterum, ne molestandi & turbandi pro velle sit ei exceptionis cujuscumque facultas, si ultra praemissum assignatum sibi terminum non prius ostenderit, petierit, & profectus fuerit, ut praefertur, super jure proprietatis, si quod dicto Duci forsitan in Regno ipso competeret, a nostra & dictae Sedis sit praesidio jurisdictionis exclusus, & in quocumque judicio tam de rigore iustitiae, quam de Apostolica plenitudine potestatis ei super hoc perpetuum silentium imponimus de praedictorum Fratrum consilio & assensu.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, praecipii, monitionum, mandatorum, assignationis, & impositionis infringere &c.

Datum Pictavis quarto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno II.

Dat. die 10. Augusti 1306. Pont. II.

III. Excommunicatio Andronici Graecorum Imperatoris, ejusque complicitum, & adherentium.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Ad certitudinem praesentium, & memoriam futurorum.

§. 1. Andronicum Paleologum, qui Graecorum Imperatorem se nominat, tanquam eorumdem Graecorum antiquorum, Schismaticorum, & in antiquato Schismate constitutorum, & per hoc haereticorum, & haereticus Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Designatum eidem Duci anni tempus ad producenda jura apud Sedem Apostolice.

Ex Regest. eodem.

iporum, ut Schismatis antiquati fauorem, de Fratrum nostrorum consilio, denunciamus excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiae vinculo innodatum.

§. 2. Ceterum universis & singulis Regibus, Principibus, & Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & ceteris omnibus, cujuscumque sint praeminentiae, conditionis, aut status; nec non Universitatibus Civitatum, Castrorum, & aliorum locorum districtius inhibemus, ne cum eodem Andronico Paleologo, in huiusmodi excommunicatione manente, societatem, vel confederationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione praesumant; vel ei alias in iis, pro quibus excommunicatus est & denunciatus a Nobis, praestare consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum: & si secus praesumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium praesumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacumque forma verborum vel expressione ipsi ab Apostolica Sede concessa, vel imposterum concedenda, quam quo ad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurtere volumus ipso facto. Terras autem ipsorum, nec non & Universitates praedictas, quae secus attentare praesumpserint, prout expedire videbimus, Ecclesiastico subiacere curabimus Interdicto: ad privationem omnium bonorum, quae a quibuscumque tenent Ecclesiis, & ad penas alias spirituales & temporales, prout utile putabimus, processuri: & nihilominus societatem & confederationem ipsas, etsi penarum & juramenti adiectione, vel quacumque fuerint alia firmitate vallatae, decernimus irritas & inanes.

Datum Pictavis tertio Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Anathema in Andronicum.

Vasire Catholici siglas cum ipso colore.

Spernentibus imperia inflatum anathema.

Dat. die 5. Junii 1307. Au. II.

IV.

Indictio XV. Sacri & Oecumenici Concilii Vienne-nsis primi, ad Kalendas Octobris 1309. (a)

Clemens Papa Quintus, Carissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum Illustri.

Regnans in Coelis triumphans Ecclesia, cujus Pastor est Pater aeternus, cui Sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ad sui similitudinem & representationem constituit Ecclesiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domino Jesu Christo ineffabili commercio copulatam, in qua idem Unigenitus Dei Filius a Patre progrediens, per il-

Exordium.

(a) Eiusmodi fere literas hic idem Pont. direxit aliis Principibus, necnon Archiepiscopis, Episcopis, & Praelatis, quas praetermitti, una cum aliis literis pro-rogationis d. Concilii usque ad Kalend. Octobris anni 1310. & deinde subsequentes anni 1311. In quo quidem Concilio, Ordo Militum Templariorum ab illo- met Pont. damnatus fuit, ut hic infra in ejus Const. Ceterubus.

Romane Ecclesie dignitas.

Infratorem Paracliti, procedentis pariter ab utroque, statuit fidei fundamentum.

§. 1. Sane Romana Ecclesia, Mater alma fidelium, caput est disponente Domino Ecclesiarum aliarum omnium & magistra: a qua veluti a primitivo fonte ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur, ad cujus regimen voluit Christi clementia, Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati fonte baptismatis teneant, & conservent, ut qui sub hac doctrina cursum vite recte peregerint, salvi fiant; qui vero ab ea deviaverint, condemnentur.

Ipsius sollicitudo pro Reoperatione Terræ Sanctæ.

§. 2. Ipsa nempe Romana mater Ecclesia juxta exigentiam possibilitatis ipsius, ad cunctas orbis Provincias, in quibus divini nominis cultus viget, fideique Catholicæ observantia extulit, intuitum sedulæ considerationis extendens, ac subjiciens ab olim suæ considerationis examini diuturnæ calamitatis angustias illius specialis hereditatis Dominicæ, videlicet Terræ Sanctæ ab infidelibus miserabiliter conculcatæ, in qua idem Patris æterni Filii nostræ carnis indumento conlectus, salutem humani generis pietate infabili extitit operatus, quamq; sua ipse voluit corporali insignire præsentia, & proprii asperione sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem Terræ retroactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperet ab ipsis impiis subvenire.

Expropter multa Templariorum concessa Privilegia.

§. 3. Et quia inter ceteros, quos professio Christianæ Religionis includit, Milites & fratres domus Militiæ Templi Hierosolymitani, sicut est toti orbi notorium, tamquam specialis ejusdem fidei pugiles, & jam dictæ Terræ præcipui defensores, ipsius Terræ negotium principaliter gerere videbantur, ipsos, & eorum Ordinem præfata Ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens eos adversus Christi hostes Crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus, ac diversis libertatibus, & privilegiis communit.

Multa se audisse a illis, ait, patrati mala.

§. 4. In nimirum cum crederentur in Domini servitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium, cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multifarie, multisque modis propterea adiutrices, sed (proh dolor) nova, & calamitosa vox, de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens, nostrum replevit, imò verius perturbavit auditum. Hæc enim vox nuntia lamentationis & gemitus, audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christianæ cultoribus novæ, & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, & dum facti seriem ejus necessitate præsentem depromimus, noster attenuatur præ angustia spiritus; & valetudinis fatigata contractibus, membra singula præ nimio dolore tabescunt.

§. 5. Dudum siquidem circa nostræ promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostræ Coronationis insignia, venissemus, &

post tam ibi quam alibi secreta quorundam nobis insinuatō intinavit, quod Magister, Præceptores, & alii Fratres dictæ militiæ Templi, & etiam ipse Ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius Domini Nostri Jesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus Apostasiæ nefandum, detestabile Idolatriæ vitium, execrabile facinus Sodomorum, & hæreses varias erant elapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur; quod viri tam religiosi, qui præcipue pro Christi nomine suum sæpe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna, tam in divinis officiis, quam in jejuniis, & aliis observantiis devotionis signa frequentius prætendebant, suæ se essent salutis immemores, quod talia perpetrarent, hujusmodi insinuationi, ac delationi ipsorum, ejusdem Domini nostri exemplis in canonice scripturæ doctrinis edocti, aures nolimus inclinare, deinde vero tu, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil tibi vindicare vel appropriare intendas, imo ea nobis, & Ecclesiæ per deputandos super hoc a nobis administranda, gubernanda, conservanda, & custodienda liberaliter, & devote in Regno tuo dimissisti, manum tuam exinde totaliter amovendo, sed fidei Orthodoxæ fervore tuorum progenitorum vestigia clara sequens accensus, de præmissis, quantum licite potuisti, informans, ad instruendum, & informandum nos super iis multas, & magnas nobis informationes per tuos Nuntios & literas destinasti.

Que audierit, exponit.

Hæc a Philippo Nuntio fuisse sibi delata.

Sceleris nonnulla Templariorum quondam fuisse, confessum.

§. 6. Infamia vero contra Templarios ipsos increbrescente validius super sceleribus ante dictis: & quia etiam quidam miles ejusdem Ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secreto juratus deposuit, quod in receptione fratrum præfati Ordinis hæc consuetudo, vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis, vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Jesum negat, & super Crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens, & receptus, quæ non sunt licita, nec humanæ conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis, urgente nos ad id officii nostri debito, vitare nequimus, quin tot, & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamorosa insinuatione, Tui necnon, & Ducum, Comitum, & Baronum, ac aliorum nobilium, Cleri quoque, ac populi dicti Regni tui, ad nostram propter hoc tam per se, quam per Procuratores, & Syndicos præsentiam venientium (quod dolenter referimus) ad nostram audientiam pervenisset, quod Magister, Præceptores, & alii fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo, præfatis & pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmissa per multas confessiones, attestaciones & depositiones præfati Magistri, & plurium Præceptorum, & fratrum Ordinis prælibati coram multis Prælati, & hæreticæ pravitati-
Ins

Septuaginta duo Templ. eadem scelerata Concistorio publico fuisse confessos.

Inquirentem in Regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque, & fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilominus fama, & clamores prædicti in tantum invaluisse, & etiam ascendissent, tam contra ipsum Ordinem, quam contra personas singulares ejusdem, quod sine gravi scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari: Nos illius, cujus vices licet immeriti in terris gerimus, vestigiis inherentes, ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum, multoq; de Præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti Ordinis reputationis non modice in nostra præsentia constitutos, præfatis ab eis juramento, quod super præmissis meram, & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus, & examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assentibus diligenter, eorumq; confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illas in nostra, & ditorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spacio in Concistorio legi fecimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseverantes in illis, eas expresse, & sponte prout recitata fuerant, approbarunt.

Trius Cardinalibus ceterorū commissum examina.

§. 7. Postquam cum Magistro, & præcipuis Præceptoribus præfati Ordinis intendentes, super præmissis inquirere per nos ipsos ipsum Magistrum, & Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Normandiæ, Aquitanie, ac Pictaviæ Præceptores majores nobis tunc Pictavis existentibus, mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic insinabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quomomodo adduci, nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent, quæ constinebantur in eorum confessionibus, & depositionibus, quas coram Inquirentem pravitate hæreticæ in Regno tuo præfato, præsentibus quibusdam notariis publicis, & multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, nobis, & fratribus nostris per ipsum Inquirentem sub manibus publicis exhibitis, & ostensis dilectis filiis nostris Berengario tit. SS. Nerei, & Achillei, Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis, presbyteris, ac Landulpho S. Angeli Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi eum præfatis Magistro, & Præceptoribus inquirentem, tam contra ipsos, & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipsum Ordinem super præmissis cum diligentia veritatem, & quicquid super his invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones, & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro Apostolatu deferre, ac præsentare curarent, eidem Magistro, & Præceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent, ut de Bull. Rom. Pom. III. Pars II.

berent juxta formam Ecclesiæ impensuri.

§. 8. Qui Cardinales ad ipsos Magistrum, & Præceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt, & quoniam tam personæ, quam res ipsorum, & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo consistendum in manibus nostris erant, quod libere absque metu cujusquam plene ac pure super præmissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica injunxerunt. Qui Magister, & Præceptores Franciæ, Terræ Ultramarinæ, Normandiæ, Aquitanie, ac Pictaviæ, coram ipsis tribus Cardinalibus, præsentibus quatuor Tabellionibus publicis, & multis aliis bonis viris ad sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta, præfatis juramento, quod super præmissis omnibus meram, & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter libere, ac sponte, absque coactione qualibet, & timore, deposuerunt & confessi fuerunt, inter cetera, Christi abnegationem, & spūtionem super Crucem, cum in Ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi, & spūtionem super Crucem fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia, & inhonestæ confessi, quæ ut eorum ad præfens parcamus verecundie, subticemus. Dixerunt præterea, & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus, & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquirentem hæreticæ pravitate. Quæ confessiones & depositiones dictorum Magistrum, & Præceptorum in scripturam publicam per quatuor publicos Tabelliones redactæ, in ipsorum Magistrum, & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis eidem lectæ fuerunt de mandato, & in præsentia Cardinalium prædictorum, & in suo vulgari expositæ cuilibet eorundem. Qui perseverantes in illis, eas expresse, ac sponte prout recitata fuerant, approbarunt, & post confessiones, & depositiones hujusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque completis humiliter, & devote, ac cum lacrymarum effusione non modica petierunt.

Ac Templarios eadem deposuisse.

Veniam petentes, fuisse absolutos.

§. 9. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redenti, ab eisdem Magistro & Præceptoribus hæresi abjurata expresse, ipsis secundum formam Ecclesiæ auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt.

§. 10. Ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum Magistrum, & Præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis Magistro, & Præceptoribus fecerant, retulerunt, ex quibus confessionibus, & depositionibus, ac relatione invenimus sepefatos Magistrum, & fratres in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus, graviter deliquisse.

Publicis itaque scripturis Papæ traditis.

§. 11. Attendentes autem, quod scelerata tam horrenda transire incorrecta absque Dei
P 2 Om-

Locorum Ordinaris commissis inquit, ut super eisdem inquirant;

Ac super his placentium dolet.

Judiciorum Concilio post biennium cogendum.

Omnipotentis, & omnium Catholicorum injuria, non poterant, nec debebant: decrevimus de fratrum nostrorum consilio per ordinariorum locorum, ac per alios fideles, & sapientes viros ad hoc deputandos a nobis, contra singulares personas ipsius Ordinis, nec non contra dictum Ordinem per certas directas personas. quas ad hoc duximus deputandas super praemissis criminibus, & excessibus inquirendam.

§. 12. Iis nempe, quae magis flere cogimur quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur, & cum tanta proinde nobis imminet gemendi materia, solum non possumus declinare. Quisnam Catholicus haec audiens, nimis non doleat, & prorumpat in luctum? quis fidelis hujusmodi finitrum eventum intelligens, amara non emittat suspiria, verbaque lamentationis & mœstitudinis non erumpet, cum tota Christianitas hujusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat universos. Ex his etiam, dum ministerio debite considerationis nostrae mentis praesentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, & ad tanta discrimina relevanda, suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur.

§. 13. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote speramus: & quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium, Nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu praehabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio, Vniversale Concilium sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longaeque observationis exemplo nos instruit, a proximis Kal. Octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum, ut in eo tam circa dictum Ordinem, & personas singulares, & bona ejusdem, & alia, quae statum tangunt fidei Catholicae, quam circa recuperationem, & subsidium Terrae Sanctae, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem Ecclesiasticarum personarum, & libertatem eorum illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione Concilii roboretur: per cujus salutiferam executionem, virtus altissimi eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejusdem Terrae statu prospero reparato, occupata restituit, vastata restauret, & conservet, nobisque viam aperiat idem ipse, qui novit, & facultatem tribuat ipse, qui potest, ut sic in praemissis juxta intentum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem, verus ejusdem universalis sponsum Ecclesiae ipsam dilectam suam purgatam maculis, mu-

ntam virtute, ac monilibus ornatam, unam semper habeat, & formosam ad sui nominis laudem, & gloriam, ad animarum profectum, robor fidei, pacem & exaltationem populi Christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius facilius auctore Domino effectum debitum, fortiat, praedictum tempus ad id duximus deputandum.

§. 14. Unde Venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filiis Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Praepositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Praelatis, exemptis, & non exemptis, eorumque Capitulis, & Conventibus per alias nostras literas praecipiendo mandamus, ut iidem Archiepiscopi, necnon & ceteri Episcopi per ipsorum Archiepiscoporum Provincias constituti in eisdem literis nominati, reliquis ipsorum Episcoporum in dictis Provinciis remanentibus ad ea, quae Pontificale officium exigunt, tam in suis, quam illarum dictarum Provinciarum, qui ad hujusmodi Concilium universale accesserint, Civitatibus, & Dioecesibus exercenda, omni negligentia relegata, cunctis prout talis & tanti negotii qualitas exigat, dispositis & paratis, sic medio tempore se accingant ad iter, quod in hujusmodi decreto termino, quem eis, & aliis peremptorie assignamus in Viennensi Civitate, iidem Archiepiscopi, & Episcopi taliter nominati personaliter, alii vero remanentes Episcopi, Electi, Abbates, Priores, Decani, Praepositi, Archidiaconi, Presbyteri, & Praelati, Capitula, & Conventus per eosdem Archiepiscopos, & Episcopos ad praedictum Concilium accessuros, quibus ad omnia, quae in eodem Concilio statuentur, fient, & ordinabuntur, & fuerint opportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta, nostro se conspectui representent. Quod si forsitan ipsis Archiepiscopis, & Episcopis accessuris hujusmodi noluerint concedere potestatem, eo casu venire, vel alios procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur Concilium destinare.

§. 15. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, seu Indulgentiis quibuscumque personis, ordini, dignitati, seu Collegio sub quacumque verborum forma, vel expressione a praedicta Sede concessis, per quae possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandavimus insuper, ut iidem Archiepiscopi, & Praelati per se vel alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes praec oculis omnia, quae correctionis, & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius Concilii notitiam deferant. Et nos nihilominus variis modis, & viis solers studium, & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta Concilii, correctionem & directionem recipiant opportunam.

§. 16. Hoc etiam in eisdem nostris literis adjecto, ut nullus inobedientiae notam, & canonicam ultionis acrimoniam vitare desiderans

Montique Praelatis omnibus, ut Viennam intra hoc tempus accedant.

Secum hujus examen rei deferentes.

rans

Philippum hortatur, ut ipse quoque illuc pergat.

Dat. die 12. Augusti. 1307. Pont. III.

Ex Regest. Vatic.

Lateranensis Basilicae dignitas.

Fortuito igne concremata.

rans, fallacium excusationum velamento semuniat, vel ex impedimentis iterum, quae Domino prava in directa, & in vias planas aspera sua omnipotentia convertente cessabunt, frivola allegationis munimenta confingant, ut a tam sancti prosecutione operis se subducant: sed occurrant singuli voluntarii ad id, quod & divina congruit voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum.

§. 17. Ceterum, quia multipliciter expedit ut tam celebre Concilium tua, & aliorum Catholicorum Principum decoretur praesentia. ut salubri consilio, & auxilio fulciatur, serenitatem regiam rogamus, & hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quod praescripti loco, & termino in eodem Concilio, captata interim ad hoc opportunitate, studeas personaliter interesse, meditatione provida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor, quem ad tam sancti, & utilis negotii promotionem assumens, tibi cederet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem Concilium efficacius tuo inducentur exemplo, & nihilominus vota tua nobis poteris familiariter aperire, quae in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum Deo, ac Ecclesiae honore poterimus, admittimus.

Dat. Pictavis 2. Idus Aug. Pont. nostri Anno tertio.

V.

Universis Christianis fidelibus, pro reparatione Lateranensis Basilicae igne consumptae laborantibus, conceditur Indulgentia decem annorum, totidemque quadragenarum.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, Universis Christianis fidelibus, praesentes literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem.

ET si Fidei Christianae cultores universas Ecclesias per orbem terrarum, diffusas, in quibus Majestas Altissimi collaudatur, teneantur & debeant devotione celebri venerari: ad Venerabilem tamen Ecclesiam Lateranensem in honorem Salvatoris Mundi dedicatam, ac vulgariiter Beati Joannis titulo insignitam, ubi Imago Salvatoris depicta primum visibilis omni Populo Romano apparuit, quam divina clementia prerogativa sublimavit honoris, multiisque dotavit singularibus titulis Dignitatum, inter ceteras majorem tenerentur reverentiae plenitudinem exhibere. Cum igitur nuper eadem Ecclesia, tam celebris quam insignis, incendio fuerit, divina id permittente clementia, quod dolenter referimus, casualiter concremata: Nos ad reparationem ipsius paternis studiis, prout Pastoralis tenemur officio, efficaciter intendentes; & considerantes attente, quam conveniens sit, & dignum, ut Christi fideles eidem Ecclesiae debitum honorem exhibeant, & ad ejus decorem sua etiam impendia subministrant; cum frustra non immerito salu-

tem expectet, qui non ex omni corde ac mente suis cum veneratione & honore debitis non reveretur nec invocat Salvatorem: Vniversitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus, attendentes provide, quod inter holocausta virtutum illud Deo acceptabilius redditur, quod de puri animi hilaritate, ac pinguedine charitatis offertur, de bonis vobis a Deo collatis ad reparationem dictae Ecclesiae, quae magna plurimum ac sumptuosa exigit onera expensarum, pias & largas eleemosynas, & grata subsidia erogetis; ut cooperantibus vestris charitativis subventionibus possit eadem Ecclesia, decentis consumptione structurae laudabiliter restituta, superni Regis laudibus apta reddi: Vosque per hoc & alia bona, quae Domino inspirante feceritis, ad aeternae postitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus & confessis, qui usque ad consummatum finem tam pii operis, quod incumbit, circa ipsum opus personaliter laboraverint, vel ad illud manum praestiterint adjutricem, decem annos & decem quadragenas de iniunctis eis poenitentis misericorditer relaxamus: nec non a Domino Deo nostro Salvatore omnium, in cuius honorem supradicta Basilica dedicata fuisse dignoscitur, secundum quantitatem subsidii & devotionis affectum suorum remissionem peccaminum, & suarum animarum salutem, misericorditer consequatur.

Datum Pictavis tertio Idus Augusti, Pontificatus nostri anno Tertio.

VI.

Erectio Studii generalis in Civitate Perusii, Provinciae Hetruriae.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Super specula militantis Ecclesiae dispositione dominica constituti, fidelium ejusdem Ecclesiae profectus, honores & commoda, quantum nobis ex alto permittitur, ferventer appetimus, illaque efficacibus studiis, & promptis operibus, libenti animo promovemus, ad haec omnem, quam possumus, operam & operam exhibentes.

§. 1. Quare dum Fidei puritatem, & devotionem eximiam, quam Civitas Perusina, spectabilis dictae Ecclesiae filia, ab olim ad ipsam Ecclesiam habuisse dignoscitur, illaque ad nos & dictam Ecclesiam continuare fideliter de bono in melius studuisse probatur, intra praecordia nostra revolvimus, dignum duximus, & aequitati consonum arbitramur, ut Civitatem eandem, quam divina gratia, multarum prerogativa bonitatum, & fecunditate virtutum, gratiose dotavit, scientiarum etiam muneribus ampliemus.

§. 2. Et ut favente Deo, ex Civitate ipsa pro-

Christi fideles ad ejus reparationem adhortatur.

Preposita indulgentia.

Dat. die 11. Augusti. 1307. Pont. III.

Exordium.

Civitas Perusina Roma. Ecclesiae filia.